



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Acta S. Carterii, Presb. Et Mart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS.
Exemplo, ce-
teris prae-
ced.

placere. Tu his conditus et formatus caeli beneficiis, plus agendo populum instituis quam loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam eruderant, quae praebentur exemplo. Sine pudore invitatur ad innocentiam, qui illam non fuerit ipse sectatus. Te inter secreta penetralium quasi testem metuunt, qui peccare disponunt. Nascentibus culpis metus et reverentia tua negat effectum. Qui inter exordia occurrit vitiiis, et occasionem lapsus adimit, et concupiscentiae purgat auctorem. Haec beatitudini tuae quasi strictim pro

linguae meae dedicatione dedicavi. Si precibus vitae successus arriserit, gestorum tuorum plena me relatione consecrabo, ut quae universis nota sunt, mansuris in posterum litteris, quatenus gaudeat aetas secutura, serventur. *Haec in laudem Maximi adhuc viventis Ennodius ejus successor, cujus Dictio sacra iv eidem missa Maximo est, et ab eo dicta cum dedicaretur basilica S. Joannis Baptiste, quem novo exemplo Apostoliam nominat, ut hic Lucam Prophetam.*

DE S. PATHEO MARTYRE.

VIII JANUARI. **M**artyrologium S. Hieronymi : Et alio loco Pathei. Martyrem remur cum nulla secus sentiendi causa, ut plerumque in eodem Martyrologio.

a ACTA S. a CARTERII, PRESB. ET MART.

Ex Meneis Graecorum.

b
SUB
DIOCLETIANO.
VIII JANUARI.
S. Carterius
Presbyter, po-
pulum docet :
quasitus latet :
dein offert se
quarentibus.

Dioeletiano imperante, et Urbano b Caesareae Cappadociae Praeside, Carterius Presbyter et Doctor Christianorum, domum in templum vertit, et coacta ingenti Christianorum multitudine instituit illos in vera fide, qua discerent Christum solum verum Deum colere; et praeter illum, nullum alium Deum agnoscere. Delatus ad Praesidem se ipsum in latebras abdidit. Sed illi Dominus apparuit, mandavitque ut se in apertum daret, seque ultro ipsum quaerentibus offerret : Ego, inquit, tecum ero. Multa enim tibi meo nomine patienda sunt, multique per te conversi salutem consequentur. Hic Carterius ingenti perfusus gaudio, Deo gratis actis, se ipsum in lucem dedit.

c
Serapidis ido-
lum dejecit :
dire torque-
tur :
sanatur ab
Angelo :
rursus cru-
ciatur :

2 Ac primum quidem ergastulo conclusus, dein ad Praesidem deductus, jussus est c Serapidi litare : sed Carterius precibus idolum dejecit. Tum a sedecim licitoribus fustibus atrociter contunditur, quatuor aliis carnificibus illi imminuentibus. Deinde a furca suspensus novacula unguis a manibus et pedibus excinduntur, ferreisque unguibus totum corpus raditur et carpitur. Qui conspectu dein Angeli recreatus omnibus tormentis superior, atque illico sanus extitit.

3 Dein rursus Praesidis jussu detentus, talis ferro

trajectis, supinus ignitum pectore vomerem gestavit. Praeterea coactus est in succensa ferrea sartagine residere : tum ei ardentibus subulis perforati pedes : atque ita rursus in carcerem retrusus est. Sub noctem iterum se ei videndum Salvator obtulit, compedibus solutum omni levavit molestia, atque e custodia eductum liberum dimisit. Quare complures cum sanum spectassent, eum adeuntes ab illo sacro fonte abluti sunt, et ab omnibus, quibus laborabant morbis, curati.

4 Appensa deinde pedibus manibusque saxa ingentia, quibus ita innexo distentoque fustibus venter converberatur : aduruntur accensis facibus latera : resinaque plagis infunditur : liquatum in os plumbum instillatur, ignitaque galea capiti imponitur. Ac demum in rogam conjectus, dum laudes gratiarum Deo concinit, in igne illaesus permansit. Hinc e circumstantibus Judaeus quispiam in rabiem actus, hastam vibrans per latus Martyris transadigit, mortemque infert, cum prius aquam e latere tam copiosam profudisset, ut etiam rogam exstingueret; quam secutus sanguis est, cum quo et animam in Dei manus edidit.

a Ignotus hic Latinorum fastis. Nam diversus est a Carterio qui 2 Novembr. colitur sub Licinio Sebaste passus.

b Haec Cappadociae metropolis est, circa Melæ fluminis fontes, magnam adeptam plurimamque sanctis, quos tulit, ac praesertim Basilio magno, celebritatem.

c Unus hic e Diis Egyptiorum fuit.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

THEOPHILO ET HELLADIO.

VIII JANUARI. **D**e his VIII Januarii Martyrologium Romanum : In Libya Sanctorum Martyrum Theophili Diaconi et Helladii, qui primo laniati ac testulis peracutis compuncti, demum in ignem conjecti animas Deo reddiderunt. Eadem fere habet Menologium Graecorum, addens sub Proconsule haec passos. Paulo fusius Meneia : Eodem die sancti Martyres Theophilus diaconus, et Eladius laicus passi sunt. Hi Libyae erant. Ob Christi vero confessionem comprehensi, et ad Proconsulem deducti, cum infide perseverarent, atrociter verberati sunt. Vinculae dein manus ac pedes tergumque ferro atque igne adustum : tum acutis compuncti

testis; cum identidem tormenta plura ingererentur, animas Deo tradiderunt. Galesinius : In Graecia beatorum Martyrum Theophili diaconi, et Helladii. Hi, in Libya nati, Christianae fidei cultores, idolorum cultum cum passim exagitarent, Proconsulis jussu virgis acerbae caesi, tum unguibus ferreis excarnificati, post in lumbis semiustulati, deinde testularum aculeis confossi, nihil unquam de constantia sua remiserunt. Itaque demum horribilem in modum raptati, contractis totius corporis ossibus, animas Deo reddiderunt.